

vendantur cerei et alia quae ad devotionem populi pertinent. (Laymann, l. 4. tr. 10. c. 7. n. 9) Permitti quoque possunt in ecclesiis comoediae honestae ad fovendam pietatem idoneae, exercitia litteraria vel scientifica. (Ball. P. n. 196)

**282. V. Sacrilegium reale** est violatio rei sacrae seu quae publica auctoritate cultui divino deputata sit. Res autem sacrae ad quadruplex genus reduci possunt (2. 2. q. 99. a. 3; Struggl, tr. 5. q. 6. n. 15) :

1<sup>o</sup> Sacramenta. Hinc sacrilegium committitur ab eo qui sciens volens efficit ut invalide conficiantur, qui ea indigne ministrat vel suscipit, ut exponetur in Tr. de Sacramentis in genere. Quodsi contumeliose tractantur, accedit malitia blasphemiae, quia contemptus in ipsum Deum redundat vel prius contra Deum habetur et dein transfertur ad res divinas, ex. gr. si quis oleum sacrum contumeliose ad usum profanum adhibeat. (Lehm. I. n. 380) Gravissimum sane est sacrilegium quod in S. Eucharistiam committitur; non constat tamen hinc oriri novam sacrilegii speciem. (n. 279, II)

2<sup>o</sup> Vasa consecrata ad usum sacramentorum, reliquiae et imagines Sanctorum; sacra Scriptura, sacrae aedes, altaria. Ut autem dijudicetur num graviter peccent qui unum ex istis, secluso contemptu, irreverenter tractent, videndum erit num gravem injuriam Deo rebusve sacris inferre merito censeantur. Id in quibusdam casibus erit manifestum; in dubiis attendatur ad intentionem agentis.

Specialim quod ad verba S. Scripturae pertinet, grave sacrilegium erit ea adhibere ad finem graviter malum, puta ea detorquendo ad sensum impium vel obscenum. Ubi ad meras facetias adhibentur, plerumque culpa venialis fiet: quandoque omnis irreverentia atque ideo omnis reatus abesse poterit. (Lehm. I. n. 382)

3<sup>o</sup> Ornatus ministrorum sacrorum vel altarium, et alia quae ab Ecclesia in ordine ad usum sacrum benedicuntur. Advertendum tamen non omnia quae benedicuntur fieri res sacras, ut patet e benedictionibus *mere invocativis*, quas Ecclesia effundit in res usibus profanis destinatas, puta domos, naves. Insuper non omnia quae in ordine ad usum sacrum benedicuntur cum eodem rigore ab usibus profanis segregantur. Sic sacrilegium reale committeret qui ornamenta sacerdotalia benedicta deferret in ludo theatri: non peccaret vero qui, secluso contemptu, ad usus profanos adhiberet incensum, candelas, ramos, aquam benedictam. (S. Alph. n. 40) Veteres canones (ex. gr. de Consecr. Dist. I. cc. 38 et 39) severe prohibebant ne res usibus sacris dicatae, ex. gr. ligna ecclesiae consecratae, altaris palla vel velum, usibus profanis addicerentur: quare illa comburi vel aliis usibus sacris adhiberi jubebant. Attamen rigor ille antiquus consuetudine mitigatus videtur. Ideo S. Alph. (n. 41), opinatur

res sacras usibus profanis addici posse dummodo *totaliter* immutentur, ut si calix igne vel ferro ad communem argenti massam reducatur; non licere tamen ex veteri casula vestes profanas resarcire. Alii (Genari, Consult. mor. can. Cons. can. 33) etiam longius progressi, censent jam posse usibus profanis addici calicem et, a fortiori, reliqua vasa quae benedictionem amiserint; vestes sacras posse ad alios usus adhiberi, dummodo prius earum forma immutetur; ecclesiae dirutae petras, ligna et reliquam materiam ad usus profanos licite vendi. Semper tamen cavendum a fidelium scandalo.

4<sup>o</sup> Bona mobilia vel immobilia ad sustentationem ministrorum ecclesiae, ad hujus fabricam aliosve usus sacros deputata: licet enim talia bona in se non sint sacra, jus tamen Ecclesiae ad ea sacrum est. (Struggl. l. c.) Quodsi res quaedam nondum transiit in Ecclesiae dominium, puta legatum nondum ab herede solutum, sacrilegium non committitur nisi lato sensu ab eo qui eam furetur, destruat etc.

Sacrilegium reale etiam mera omissione fieri potest, et quidem grave, ex. gr. si ea quae ad sacrificium spectant, ut corporalia et similia, sint valde immunda. (S. Alph. n. 48) Raro tamen per illam negligentiam graviter peccabitur. Qui autem utitur corporali vel aliis paramentis non enormiter immundis venialiter tantum peccat, immo nullatenus, si alia haberi non possint. (S. Alph. I. 6. n. 376)

N. B. Feminae et laici prohibentur quominus nuda manu tangant calices, patenas, aras, etc. chrismate delibuta. Hoc tamen, si causa rationalis adest, licet; sine tali causa, alii contra alios id culpa veniali non vacare putant; certe, secluso contemptu, non est mortale. Id etiam per privilegium conceditur regularibus et monialibus sacristis. Idem consuetudine extensum est ad minus stricte dictos religiosos vel moniales, qui, ex officio sacristae, causam rationabilem tangendi vasa sacra habent. (Gasp. de Euch. n. 757) Omnibus autem licet tangere ea quae non tangunt immediate S. Eucharistiam, nec chrismate inunguntur, ut vestes sacerdotales, reliquias; item corporalia, pallas et purificatoria, saltem quando post usum sacrum lota sunt, immo etiam, plurium sententia, antequam laventur. (S. Alph. n. 48)

### § 3. DE SIMONIA.

**283. DEFINITIO.** Simonia communiter cum S. Th. (2. 2. q. 100. a. 1) definitur: studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.

Verba *studiosa voluntas* non tantum indicant voluntatis deliberationem (quae in omni peccato formali requiritur), sed intentionem unius



partis obligandi alteram ad dandam rem spiritualem vel temporalem. Ad simoniam ergo requiritur et sufficit venditio virtualis et voluntas, etiam interna, emendi aut vendendi spirituale pro temporali: unde eam committit qui dat temporale pro spirituali, non praecise tamquam pretium, sed tamquam motivum ut alter det spirituale ita dispositus ut non daret si sciret alterum non esse hoc spirituale tributurum. Simoniacus vero non est qui dat temporale, tantum cum spe ut alter ex gratitudine sibi spirituale reddat: non enim venduntur ea quae ex mera gratitudine conferuntur. (Ball. P. n. 219 seqq.)

*Temporale pretium* seu munus potest esse multiplex. Distingui solent ex can. 114. Caus. 1. q. 1: munus ab obsequio, munus a manu, munus a lingua. *Munus ab obsequio* est subjectio indebite impensa, puta per famulatum, institutionem doctrinalem, curam impensam ex. gr. ei quem vis obligare ad beneficium tibi conferendum. *Munus a manu* est pecunia vel quidquid emi vel vendi solet, ut libri, monilia, etc. *Munus a lingua* est favor, commendatio, defensio, etc. quae pretio sunt aestimabilia, ut si quis alteri dat beneficium cum pacto expresso vel tacito quod se principi commendet ut collator ab isto officium aliquod temporale obtineat.

*Spirituale* intellegitur "res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut gratia et dona Spiritus Sancti (ut in casu Simonis magi, a quo id peccatum nomen duxit); sive causaliter, ut sunt sacramenta, concio, preces, et sacramentalia; sive sit effectus et usus potestatis supernaturalis, ut consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio, collatio beneficii aliique actus jurisdictionis ecclesiasticae. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 49)

*Spirituali adnexum* additur "ad comprehendendum ea quae non sunt per se spiritualia, sed ad ea ordinantur iisque sunt adnexa, sive antecedenter, ut jus patronatus respectu beneficii, vasa et vestes sacrae respectu sacramentorum; sive concomitanter, ut labor in administratione sacramentorum; sive consequenter, ut redditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. „ (Bus. l. c.)

Ex his patet simoniam esse speciem quamdam, certo tamen distinctam, sacrilegii realis: nam malitia ejus in eo apparet quod, rem sacram cum pretio temporali aequiperando, injuriam infert ejus dignitati, qua temporalia omnia superat.

#### 284. DIVISIO. Simonia dividitur praecipue:

1<sup>o</sup> In simoniam *juris divini* et simoniam *juris ecclesiastici*. Simonia juris divini seu naturalis, ea est cui proprie convenit definitio supra data: simonia vero juris ecclesiastici ea est qua una res spiritualis, aut spirituali adnexa, datur pro alia spirituali aut huic adnexa, ex. gr. in

permutatione beneficiorum propria auctoritate facta; immo etiam talis simonia quandoque committitur, cum res in se temporalis datur pro pretio temporali, ex. gr. vendendo officium sacristae.

Discrimen magnum inter utramque illam simoniam viget. Prior enim mala est ipsa rerum natura (n. 283); posterior tantum ob Ecclesiae prohibitionem, ideoque iisdem modis cessare potest ac quaevis lex mere ecclesiastica. Probabilius tamen haec etiam veram simoniam continet. Nam in Ecclesiae potestate est efficere ut positio vel omissio actus indifferentis quem sub motivo alicujus virtutis, puta religionis, praecipit vel prohibet pertineat ad eandem virtutem; unde explicatur quare hodie, non autem antea, sacrilegus sit qui, extra aegritudinis tempus, communicat non jejunos.

2<sup>o</sup> In *mentalem, conventionalem* et *realem* (alii paulo aliter); quae divisio potissimum inservit ad explicanda Jura quibus hoc delictum punitur.

Mentalis est quando exterius quidem datur aliquid temporale, ex. gr. famulatus, pecunia, cum intentione obligandi ad dandum spirituale, sed nullum fit pactum externum. Quidam etiam pure mentalem simoniam vocant propositum internum committendi simoniam, nulla secuta executione; sed, cum Ecclesia non judicet de internis, manifestum est hunc sensum a Jure exulare.

Conventionalis est quando factum est pactum expressum vel implicitum dandi temporale pro spirituali, vel vice versa, nondum tamen ex utraque parte pactum executioni mandatum est. Haec subdividitur in *pure conventionalem* et *conventionalem mixtam*, prout a neutra vel ab una parte pactum executioni mandari coepit. Ad hanc posteriorem refertur simonia *confidentialis*, quae in eo sita est quod quis alteri procurat beneficium ecclesiasticum cum pacto ut iste deinceps procuranti ejusve amico beneficium resignet vel partem fructuum pendat.

Realis est quando pactum simoniacum ex utraque parte impletum est vel saltem impleri coepit, ex. gr. dando partem pretii de quo convenit. (1)

**285. ASSERTA. I.** Simonia juris divini est mortalis ex toto genere suo, ideoque venialis fieri nequit nisi ex imperfectione actus. Nam quantumvis exigua sit res temporalis vel spiritualis, manet eadem gravis irreverentia. Saepe tamen doni exiguitas signum est non haberi mentem simoniacam, eo quod nemo rationabiliter potest alterum obligare ad dandam rem spiritualem magni momenti propter donum valde exiguum.

In simonia juris ecclesiastici admittitur materiae parvitas: non enim

(1) Quae ad poenas simoniae spectant potius ad forum externum pertinent. Censuras in simoniam latas videsis Vol. II. n. 600.



censenda est Ecclesia voluisse ut lex qua haec simonia prohibetur, in rebus etiam parvis, sub gravi urgeat Quandoque tamen gravis esset acceptio rei vel minimae, ut in iis qui examinant concurrentes ad paroeciam obtinendam. Nam Trident. (Sess. 24. c. 18) vetat " ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant. ", (Ball. P. n. 274)

**286. II.** Simoniam committit qui pro sacris functionibus quibusvis, ut concionibus, administratione sacramentorum, sepultura ecclesiastica, etc. rem temporalem accipit tamquam rei spiritualis pretium, ut ex ipsa simoniae definitione liquet. At simoniacum non est, aliquid exigere per modum stipendii ad sustentationem ordinati, secundum haec verba Christi: " Dignus est operarius mercede sua. " (Luc. X, 7) Nam laboranti in spiritualibus, perinde ac cuilibet in rebus temporalibus servienti, sustentatio debetur, et quidem, ut omnes DD. tenent, ex justitia. Quare de tali stipendio etiam pacisci licet, si nihil de eo lege vel consuetudine determinatum est; si vero quantitas stipendii Ecclesiae ordinatione vel consuetudine determinata est, haec taxa servetur oportet. Ob scandalum tamen, cavendum ne " ab invitis exigatur per spiritualium subtractionem, quae sunt exhibenda: hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. ", (2. 2. q. 100. a. 3) Sic Cone. Baltimor. III (n. 292) acriter carpit sacerdotes " qui, ubi gravis culpa non apparet, sacramentalis absolutionis beneficium denegant fidelibus qui nolint collectis stipem dare, ad quam sub peccato gravi teneri non constet. "

Stipendium hujusmodi, cum ex justitia debeatur, solvendum est etiam iis ministris sacris qui non indigent. Ex altera autem parte, nihil potest exigi pro iis ministeriis ad quae parochi aliive beneficiati ex officio suo tenentur, quando isti, ut supponunt omnes AA. veteres, ex. gr. S. Th. (l. c. ad 3), habent, pro sua sustentatione, statuta stipendia ex Ecclesiae redditibus. Nam universe injustum est aliquid exigere pro re jam ex justitia debita. Excipiendum tamen si consuetudine legitime praescripta iatroductum esset ut aliquid solveretur a fidelibus, ex. gr. quia antea tenues erant redditus parochiales. (Ball. P. n. 275 seqq.)

De intrinseca hujus stipendii natura nonnihil dissident AA. Nam dum alii affirmant pretium exigi posse pro labore corporali qui sacris ministeriis intrinsecus est, alii communius cum S. Th. (in 4. d. 26. q. 3. a. 2) id negant. Horum sententias recte conciliare videtur Laymann. (l. 4. a. 10. c. 8. n. 42) Nempe, si labor ille spectatur in ordine ad opus spirituale, secundum propriam et specificam ejus utilitatem, nequit pretio compensari: sic enim aestimaretur ipsa spiritualis operis dignitas et utilitas. At si idem labor spectatur in ordine ad operantem, et secundum genericam rationem servitii in alterius gratiam praestiti, tunc meretur

quidem sustentationem congruam clerico, merces autem ista nonnisi improprie et abusive vocari potest pretium operis. Non enim commensuratur operi, sed necessitatibus ceterisque qualitatibus operantis.

**287. III.** Non committit simoniam qui stipendium exigit pro labore qui operi spirituali *extrinsecus* est, et nonnisi per accidens cum eo conjugitur: sic enim pretium non accipi pro re spirituali manifestum est. Ideo licet aliquod pretium huic extrinseco labori proportionatum exigere, quotiescumque praestatur cum tali onere ministerium sacrum ad quod nondum ulla obligatio ex justitia adstringit. Exemplum habes in sacerdote qui libere obligationem suscipit Sacrum cantandi, vel hora importuna locove distante celebrandi, assistendi aegroti cum periculo infectionis vel notabili negotiorum suorum incommodo, etc. Parochus vero (excepto casu consuetudinis legitima) nihil exigere potest ut S. Viaticum ad aegrotum longe distantem deferat.

Si compensatio laboris extrinseci justo major exigitur, vel si, absque ulla externa ratione, augetur pretium lege aut consuetudine taxatum, plerique (Ball. P. n. 282) universe affirmant veram simoniam committi. Ratio eorum est quod, cum deficiat justus titulus laboris extrinseci vel sustentationis, excessus jam ut pretium ministerii sacri exigitur. Quidam tamen, ut Gury (l. n. 292) et aliquatenus Lehmkühl (l. n. 390), simoniam proprie dictam, seclusa mente vendendi spirituale pro temporali, adesse negant: quia, cum adsit titulus exigendi remunerationem, non habetur necessario comparatio spiritualis cum temporali. Certe, taxam dioecesanam excedendo, clericus peccaret contra justitiam et oboedientiam: siquidem auctoritas ecclesiastica jus habet determinandi justum stipendium, fere sicut Status potest determinare pretium legale mercium (n. 632); immo et in foro externo tamquam simoniacus plecti posset.

**288. IV.** Simoniam committeret qui daret vel acciperet pretium pro absolutione a peccatis vel censuris, pro dispensatione in voto, juramento, impedimento matrimonii, etc. ut per se patet. Attamen saepe in talibus dispensationibus quaedam solvi jubentur ob varios titulos, puta per modum muletiae ad piam causam applicandae, per modum commutationis ex. gr. voti in eleemosynam. (S. Alph. n. 96)

#### V. Simoniam non committunt:

1<sup>o</sup> Qui functiones sacras obeunt *principaliter* intuitu stipendii adnexi, ex. gr. se conferentes ad assistendum exsequiis propter pinguem mercedem. Nam, quamvis in hac re aliquis inordinatus affectus subesse queat, per se licet intendere quod licite exigitur. Supponimus hic mercedem intendi tamquam medium sustentationis, non mente simoniaca. (S. Alph. n. 55)



2<sup>o</sup> Qui pro stipendio tradunt doctrinam, puta catechesim aut theologiam, vel consilia quae non unice ordinantur ad bonum spirituale audientium, sed simul ad aliquam temporalem eorum utilitatem, puta instructionem, scientiam, commodum, honorem, etc. Quodsi unice ad utilitatem spiritualem audientium tenderent haec institutio vel consilia, non liceret aliquid exigere nisi ratione sustentationis, ut supra (II) explicatum est. (S. Alph. n. 94)

3<sup>o</sup> Qui dant pecuniam aliamve rem temporalem unice ut se ab injusta vexatione liberent: nam sic temporale non datur pro re spirituali acquirenda, sed tantum ad removendam pravam alterius voluntatem et injustam denegationem rei spiritualis. Hinc liceret dare pecuniam sacerdoti qui aliter nollet administrare sacramenta, quotienscumque aliquis non posset, sine gravi incommodo, aliquo sacramento carere, puta ad implendum praeceptum Paschale: sic enim jam habetur ratio sufficiens ad permittendum sacerdotis peccatum. (S. Alph. n. 104) Idem quoque valet in materia beneficiorum ecclesiasticorum: in qua, ut dignoscatur utrum redimens injustam vexationem simoniam committat neque, inspicendum est utrum per rem temporalem viam sibi sternat ad acquirendum jus spirituale, quod nondum possidebat, an tantum servet jus sibi jam quaesitum. (2. 2. q. 100. a. 2. ad 5) Ideo a simonia immunis esset qui pecuniam daret alii ut desisteret a calumniis quibus eum apud beneficii collatorem vexaret; simoniacus foret qui ipsi collatori munera daret ne injuste denegaret beneficium digniori. (Ball. P. n. 289 seqq.)

4<sup>o</sup> Qui pecuniam dat homini impio detinenti reliquias aliasve res sacras easque profanaturo nisi ab hac injusta vexatione redimantur. Sic enim pretium temporale non datur pro re sacra, sed unice ad injustam impii hominis vexationem impediendam. Attamen, ex decreto S. C. Reliq. et Ind. 21 Dec. 1878 (Coll. P. F. n. 1917), illicitum est Reliquias, quas homines impii venales exponunt, sponte redimere, sed monendus est Ordinarius ut secundum ejus directionem agatur. Hanc tamen positivam prohibitionem cessare censemus, si periculum sit in mora, puta propter imminens profanationem. (Ball. P. n. 299) Etenim in hoc casu non esset aliud medium obtinendi finem praecipuum hujus decreti, vid. reliquiarum recuperationem.

5<sup>o</sup> Qui aliquid temporale alteri dat ut is rem spiritualem in sui ipsius commodum praestet, ex. gr. dotem puellae si ingrediatur monasterium, munera adulescenti si frequentet sacramenta. Hujusmodi enim dona vel promissiones fieri solent sine animo imponendi alteri strictam obligationem praestandi rem spiritualem, et sic nihil aliud sunt quam donatio liberalis ad inclinandam alterius voluntatem in rem eidem profuturam. (Suar. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 16. n. 14) Quodsi donans intenderet imponere alteri strictam obligationem, ex. gr. ingrediendi religionem, susci-

piendi sacramentum, plerique id simoniacum reputant (Suar. l. c. n. 17 seqq; S. Alph. n. 59), quia quodammodo emitur alterius voluntas ut is faciat quod gratum est danti pecuniam, munera, etc. Alii tamen, ut Lessius (de Just. et. J. l. 2. c. 35. n. 66) et Sanchez (de Matr. disp. 39. n. 4 seqq.), id probabiliter negant, quia pro temporali non obligo illum ut mihi vel alteri aliquid spirituale tradat, sed tantum ut sibi consulat, eadem ratione qua Deus mandata servantibus praemia promittit. Profecto cavendum est ne munera illa tanta sint ut alter jam principaliter, propter illa, rem spiritualem praestet cum periculo fictionis vel inconstantiae.

6<sup>o</sup> Qui vendit vasa sacra pro valore materiae qua constant, villam cui adnexum est jus patronatus, et similia in quibus temporale praecedit spirituale et quae propterea independenter ab isto vendi potest. At manifeste simoniacus foret qui pretium propter spirituale adnexum auget. (2. 2. q. 100. a. 4; S. Alph. n. 72)

**289. VI.** Simonia juris tantum ecclesiastici committitur *praecipue* hisce modis (Struggl, tr. 5. q. 6. n. 23):

1<sup>o</sup> Vendendo officia Ecclesiae extrinsece tantum ordinata ad res sacras, ex. gr. sacristae, thesaurarii ecclesiae.

2<sup>o</sup> Offerendo munera alii, ut collatori suadeat beneficium danti conferre. (Decr. Grat. caus. 1. q. 5. can. 3) Id plures ad simoniam juris divini referunt, sed, ut videtur, immerito: quia preces quae emuntur non sunt aliquid spirituale.

3<sup>o</sup> Permutando beneficium ecclesiasticum cum alio beneficio ecclesiastico, absque consensu legitimae auctoritatis.

4<sup>o</sup> Accipiendo munera, etiam sponte oblata, pro examine ad parochiam, collatione ordinum, prima tonsura vel litteris dimissoriis. (Trid. Sess. 24. de ref. c. 18 et Sess. 21. de ref. c. 1)

5<sup>o</sup> Vendendo oleum benedictum, vel rosaria, cruces, numismata, quibus adnexae sint indulgentiae. Hoc enim prohibuit Ecclesia (ex. gr. S. C. Ind. et Rel. 12 Jul. 1847; Decr. Auth. n. 344) ad removendam omnem speciem vel periculum simoniae juris divini, quae committeretur si hujusmodi res carius venderentur ob benedictionem vel indulgentias adnexas. Cfr. Vol. II. n. 408. Praeterea et aliae plures prohibitiones fieri solent Statutis Synodalibus vel Conciliorum particularium, ut omnis species simoniae vel turpis lucri a sacro ministerio, et praesertim ab administratione sacramentorum, removeatur. Sic Conc. Baltimor. III iterum reprobavit quod jam a Patribus Conc. Baltimor. II fuerat proscriptum: pecuniam exigere ad fores ecclesiae Dominicis ac festis diebus ut quis ingredi possit (n. 288) vel sacerdotem intra Missarum sollemnia ab altari recedere et aedem sacram circumire ut a singulis fidelibus eleemosynam petat. (n. 293)



**290. VII.** Res spirituales simoniace acceptae generatim non sunt restituendae. Nam nullo jure talis restitutio universe injungitur: non jure naturali, cum nihil obstiterit (ut supponitur) validae translationi; non jure positivo, cum hujusmodi generalis obligatio restituendi ante sententiam judicis non reperitur. Adde: plura, ex. gr. sacramenta, restitui non posse. Excipiuntur tamen beneficia quorum collatio, ipso jure et ante sententiam judicis, irrita declaratur. (Extrav. l. 5. t. 1. c. 2) Quare etiam fructus percepti eadem ratione sunt restituendi, siquidem acquiri nequeunt sine titulo. (Extrav. cit.)

**VIII.** Pretium temporale acceptum pro beneficio aliave re spirituali, jure naturae restituendum est ei a quo acceptum est, donec collatio secuta sit: deest enim justus titulus ad illud servandum. Cfr. dicenda de contractu turpi. (n. 583) Si vero praestita est res spiritualis, non est facienda restitutio, ante sententiam judicis, quotienscumque laesa est sola virtus religionis: restitutio enim, ex natura sua, facienda non est nisi cum laesa est justitia commutativa. (n. 511) Hac autem laesa, restitutio regulariter facienda est danti, tamquam laeso; in materia beneficiorum, idem fieri potest. (Ball. P. n. 359) Ob sententias tamen contrarias, restitutio etiam ecclesiae vel pauperibus fieri potest. Cfr. S. Alph. n. 115.

Hinc ad restitutionem non tenetur qui vendit oleum sacrum, rosaria indulgentiis ditata, officium temporale ecclesiae, etc. pretio quod commensuretur valori materiae, commodo vel honori temporali quem officium illud vel etiam res spiritualis adnexum habeat. Idem dicendum de eo qui pro functione sacra stipendium sustentationi congruum exigeret contra prohibitionem legis ecclesiasticae, vel etiam mente simoniaca. Nam in his casibus illaesa manet justitia commutativa. Contra, ad restituendum tenetur qui pretium accipit pro re mere spirituali, quae nullum temporale commodum secum affert, cum talis res non sit pretio aestimabilis seu vendibilis: qui pretium exigit pro re spirituali jam ex justitia debita, ex. gr. parochus pro instructione catechetica; qui pro labore extrinsece adnexo functionibus sacris, pretium exigit quod justam illius compensationem superet. (Ball. P. n. 354 seqq.)

## SECTIO II. — DE SECUNDO PRAECEPTO.

**291.** Secundum Decalogi praeceptum enuntiatur his verbis: " Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. „ (Ex. XX. 7) Prohibet igitur quaecumque sanctissimo Dei nomini irreverentiam irrogant: quod praecipue contingit per blasphemiam vel defectum condicionum quae in juramentis votisque servandae sunt. Quare hic agemus de blasphemiam, de juramento, de voto.

## CAPUT I.

## DE BLASPHEMIA.

## § I. DE NATURA ET MALITIA BLASPHEMIAE.

**292. DEFINITIO.** Blasphemiam est verbum maledictionis, convicii, seu contumeliam in Deum. (Suar. de Rel. tr. 3. l. 1. c. 4. n. 1)

Blasphemiam igitur *proprie dicta* semper designat verbum formale, non autem aequivalens, puta per gestus, spuendo in caelum, etc. Ratio est quod, communi usu, designat vitium linguae; deinde opponitur directe laudi divinae, quae proprie verbis tantum exprimitur. Includit tamen certo verba scripta: siquidem scriptum tam expressam significationem habet quam ore prolatum, et loco illius substituitur, ut usus S. Scripturae (2 Par. XXXII, 17) et nostrorum temporum comprobatur. Probabilius etiam ad sensum proprium blasphemiam pertinet verbum Deo contumeliosum quod voluntarie mente tantum pronuntiatur. (Suar. l. c. n. 2) Patet insuper graviter adversari virtuti religionis omnia facta quibus contumelia vel convicium in Deum significatur, quamvis proprie non sint blasphemiam.

**293. ASSERTA. I.** Grave peccatum committit non tantum qui verba blasphemiam profert, formaliter intendens contumeliam Deo inferre, sed quicumque eadem adhibet in iis circumstantiis in quibus importent